


nimis angustum, ex crure B C aquam omnem quidem effluere, alteram autem ex crure B A non sequi, sed in contraria potius, uti dictum, retrolabi.

V. Consequentiam adeò manifestam confirmatum amplius iri dixeramus alleg. Aucteriorum loco, si argentum vivum per siphonem curvum, tribus pedibus notabiliter altiore ex uno vase in alterum transfundi non posse deprehensum foret, cum eadem utrobique sit ratio, quòd aëris pondus vel elaterium limitatum ac finitum non habeat plus virium, quàm quantum ad aquam sub altitudine 30. pedd. aut paulò amplius, vel ad hydrargyrum infra totidem circiter digitos, sustentandum possit sufficere. Experimentum igitur ipsum, quod tum mente solùm conceperamus, hac aliã vice ac deinceps sæpius, capturi, siphonem vitreum reflexum A B C, 30. digitis altiore argento vivo penitus repletum & utroque orificio A & C vesicã suillã ceraque probè obligatum, ut inverti commodius posset, inversum ita vasculis duobus A & C hydrargyro aliquousque repletis immerimus, tandemque remotis sub hydrargyro cereis istis obturaculis, Mercurium in utroque crure ad solitam altitudinem delapsum in D & E suspensum hære ac pro more stare vidimus, neutiquam verò ex A per B in C transfundi. Quandoquidem au-

Fig. 19.



Phæn. III.

tem